IN NOMINE TRINITATIS.

DE

SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ

DISPUTATIO THEOLOGICA

QUINTA.

Quæ eſt

De illâ Quæſtione:

QUODNAM SIT SUFFICIENS FUNDAMENTUM RECEDENDI A LITERA, ET ADMITTENDI TROPUM? PRIOR.

Quam

In Illuſtri Univerſitate Jenenſi

PRÆSIDE

VIRO

Admodùm Reverendo, Ampliſſimo & Excellentiſſimo

DN. CHRISTIANO CHEMNITIO SS. Theologiæ Doctore, Profeſſore Publico, ùt & Eccleſiæ & Diœceſeos ibidem Paſtore & Superattendente, Academiæ p.t. Pro-Rectore Magnifico, Patrono & Præceptore ſuo ætatem deveneraando & colendo

Publicè reſpondendo tuebitur

VALENTINUS Haußhan / VVERNIGEROD. SAXO.

Ad diem 1. Martii

In Auditorio Theologico.

JENÆ

TYPIS EXPRESSIT GEORGIUS SENGENWALD,

ANNO M. DC. LVI.

In Nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis.

De

SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ
DISPUTATIO THEOLOGICA QUINTA.

Conſiderans;

QUODNAM SIT SUFFICIENS FUNDAMENTUM, RECEDENDI A LITERA, ET ADMITTENDI TROPUM? ET QUIDEM DISPUTATIO PRIOR.

THESIS PRIMA.

MAteriam nunc cum DEO aggredimur, difficilem & intricatam, ſed ſummè neceſſariam, & utiliſſimam! Vidimus enim Diſputatione præcedenti, *Diſtinctionem* SENSUS SACRÆ SCRIPTURÆ in LITERALEM & MYSTICUM; quæ *Diviſio* autem non eſt univoci in ſua univocata: ſed æquivoci, ſeu potius vocabuli πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, in ſua æquivocata. Primariò enim ſolus LITERALIS eſt Sacræ Scripturæ SENSUS: MYSTICUS autem non eſt Scripturæ SENSUS, niſi ſecundariò, & per dependentiam à SENSU LITERALI, excepto tamen eo ſenſu myſtico, qui in ipsâ Scripturâ monſtratur. Et diximus *theſ.* 5. Senſum *literalem* eſſe, *qui proximè & immediatè per ipſa verba ſignificetur, ſive ſint propria, ſive modificata.* Ut ita SENSUS LITERALIS utrumq; tàm *Grammaticum*, quàm *Rhetoricum Senſum* includat. Cùm autem non ſtatim ſit in-

aprico; an verba Sacræ Scripturæ accipienda ſint *propriè* & *Grammaticè?* an verò *Tropicè*, aut *figuratè*, & *Rhetoricè*; nec ſuper ullâ re, majori cum contentione ſerra reciprocetur, quàm ſuper eo, quòd ſæpe Adverſarii dicant, in hoc vel illo loco Sacræ Scripturæ Tropum eſſe, ubi tamen nullus eſt: Ideò naſcitur inde hæc ſeria & nobilis *QUÆSTIO: Quodnam ſit ſufficiens fundamentum recedendi à literâ, & admittendi in aliquo loco Sacræ Scripturæ Tropum?* Ubi facilè conſtare poteſt: per *LITERAM* nos hîc proprietatem & Grammaticam ſignificationem verborum intelligere: per *TROPUM* autem, in genere ſignificationem modificatam, ſive translatam & Rhetoricam, ſive ea Tropica ſit, ſive Figurata. Sicut *cit. l.* diximus: *SENSUS GRAMMATICUS ſeu PROPRIUS* eſt, *qui oritur ex verbis in propriâ & nativâ ſignificatione acceptis. FIGURATUS* autem, *TROPICUS*, ſive *RHETORICUS* eſt, *qui oritur ex verbis in impropriâ & figuratâ ſignificatione acceptis.* Sicut de propriâ & *figuratâ* ſignificatione *Auguſtinus* ſcribit *Tom. III. p. 12. Lib. II. de Doctr. Chriſt. cap. 10. Sunt Signa vel* Propria, *vel* Translata. *Propria dicuntur, cum his rebus ſignificandis adhibentur, propter quas ſunt inſtituta, ſicut, cùm dicimus* bovem, *intelligimus pecus, quod omnes nobiſcum Latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. Translata ſunt, cùm & ipſæ res, quas propriis verbis ſignificamus, ad aliud aliquid ſignificandum uſurpantur, ſicut, cùm dicimus bovem, & per has duas Syllabas intelligimus pecus, quod iſto nomine appellari ſolet: ſed per illud pecus rurſus intelligimus Evangeliſtam, quem ſignificavit Scriptura, interpretante Apoſtolo, dicens: Bovem triturantem non infrenabis.* In quibus verbis res ipſa rectè eſt expoſita: an autem, quoad *poſterius*; exemplum ſatis quadret? nolumus jam diſcutere.

II. Sunt autem hæc *DUO* in Theologiâ certisſima, quæ etiam nos hic præſupponimus. I. *In Sacrâ Scripturâ eſſe Tropos, ac quædam dici figuratè.* Prout elaboratisſima *Clavis*

Sacra

Sacræ Scripturæ Flacii Parte Secundâ: & famigeratiſsima *Rhetorica Sacra plurimùm Reverendi, Ampliſsimi & Excellentiſsimi Dn. D. GLASSII, Fratris noſtri in CHRISTO colendi;* ſufficientiſsimè hoc demonſtrant. Spontè enim, ſapientiam ſacrorum Scriptorum; tropos & reliqua ſermonis ornamenta, ſecuta fuiſſe, pulchrè oſtendit *Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſt. c. 6.* Spiritus Sanctus enim, loquendi artifex & Magiſter, omnem dicendi leporem unà cum rebus ſacris, in Sacram Scripturam ſimul effudit, & intulit. Unde *cit. l.* dicit Auguſtinus: *Ubi eos, Auctores ſacros intelligo, non ſolùm nihil eis ſapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt.* Et *Budæus lib. 5. de aſſe & partibus ejus,* in præfat. Rhet. S. modò laudatæ, allegatus: *in eâ ſe opinione eſſe,* inquit, *ut exiſtimet, tropos oratorios multò ſublimiores efficacioresq́; in ſacrâ lectione inveniri, quàm in priſcorum Græcorum, & Latinorum monumentis, poſſeq́; oratoriam phraſin fieri eâ lectione multò locupletiorem.*

II. *A clarâ literâ nullatenus eſſe recedendum, niſi id urgentes, evidentes & ſufficientiſsimæ rationes requirant.* Rectè enim ſcripſit B. noſter *Lutherus, annotat. in Deut. Tom. III. Lat. Jenenſ. p. 80. f. b.* Quod aliàs monui ſæpe, hîc repeto, iterumq́; monebo, ut Chriſtianus lector primam operam navet, quærendo ſenſui illi (ut vocant) literali, qui ſolus tota eſt fidei & Theologiæ Chriſtianæ ſubſtantia, qui in tribulatione & tentatione ſolus ſubſiſtit, & portas inferni cum peccato, & morte vincit, atq́; triumphat in laudem & gloriam DEI. Allegoria verò ſæpius incerta eſt, & ad fulciendam fidem infidelis & minimè tuta, ut quæ ſæpiùs pendeat ab humanâ conjecturâ, & opinione, cui ſi quis innitatur, baculo Ægypti arundineo innitetur. Proinde cavendi ſunt, aut libero judicio legendi, Hieronymus, Origenes, & ſimiles Patres. Hæc *Lutherus.* Idem judicium eſto de Tropis & figuris. Niſi enim evidenter fuerint probati, verè ſunt baculus arundineus Ægypti.

III. Sed ad rem ipſam! Videtur, quòd *ſufficiens fundamentum* recedendi à literâ, & admittendi Tropum, ſit I. *ÆDIFICATIO;* quando videlicet Tropus admiſſus, videtur plus facere ad ædificationem, quàm ſi verba accipiantur propriè. Quare & hujus fundamenti mentionem fecit *Auguſtinus Lib. III. de Doctr. Chriſt. c. X. pag. 22. lit. A. Demonſtrandus eſt igitur*, inquiens, *priùs modus inveniendæ locutionis, propriáne an figurata ſit. Et iſte omninò modus eſt, ut quicquid in ſermone divino, neq; ad morum honeſtatem, neq; ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Morum honeſtas ad diligendum DEUM & proximum, fidei veritas ad cognoſcendum DEUM & proximum pertinet. Spes autem ſua cuiq; eſt in conſcientiâ propriâ, quemadmodum ſe ſentit ad dilectionem DEI, & proximi, cognitionemq; proficere.* Dum itaq; dicit *Auguſtinus: Spes autem ſua cuiq; eſt in conſcientiâ propriâ, quemadmodum ſe SENTIT ad dilectionem DEI, & proximi, cognitionemq; proficere:* expreſsè indicat duo I. *Ædificationem* tùm *ſui*, tùm *proximi*, fundamentum cognoſcendi figuratum ſermonem, videri. II. Et hanc ædificationem æſtimari ex cujusq; *conſcientiâ propriâ*, prout ipſe *SENTIAT* aliquid facere ad dilectionem DEI & proximi. Sicut etiam B. *Auguſtini* mentem aliter non explicat *Flacius, Part. II. Clavis, Tractat. IV. p. m. 166.* ſub titulo *Quomodo cognoſcenda ſit Tropica locutio?* dum ſcribit: *Auguſtinus, lib. de Doctr. Chriſt. 3. cap. 10. & 13. docet, vocem orationemve cognoſci, an propriè aut figuratè accipiatur, hoc indicio, ſi id dictum propriè acceptum, nec ad fidem, nec ad dilectionem, aut ad ullam omninò ædificationem accommodari poteſt.* Ut ita omninò inter Fundamenta admiſſionis Tropi collocanda videatur iſta *ÆDIFICATIO.* Verùm ipſemet *Auguſtinus*, ſicut judicio Eraſmi in præfat. Operum ejus; talis Pater fuit, in quem opulentus ille, juxtà ac benignus DEI Spiritus dotes ſuas omnes largiùs effudit, quàm in ullum

alium

aſſum ex antiquitate Doctorem: ita benè vidit, lubricum, & ipſum tibicinibus indigens; hoc fundamentum eſſe. Poteſt enim aliquis opinari ex errore; ad ædificationem figuratum ſenſum quamplurimum facere, qui tamen nihil faciat. Hinc ſtatim ſubdit: *Sed quoniam proſlive eſt humanum genus, non ex momentis ipſius libidinis, ſed potiùs ſuæ conſvetudinis æſtimare peccata, fit plerumq;, ut quisq; hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ ſuæ regionis & temporis homines vituperare atq; damnare conſveverunt, & ea tantùm probanda atq; laudanda, quæ conſvetudo eorum, cum quibus vivit, admittit: eoq; contingit, ut ſi quid Scriptura vel præceperit, quòd abhorret à conſvetudine audientium, vel quod non abhorret, culpaverit, ſi animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent. Non autem præcipit Scriptura, niſi charitatem, nec culpat, niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Item, ſi animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem aſſerit, niſi Catholicam fidem, rebus præteritis, & futuris & præſentibus. Præteritorum narratio eſt, futurorum prænunciatio, præſentium demonſtratio.* Hæc ipſemet providus Auguſtinus!

IV. Ex quibus patet, quòd *ÆDIFICATIO*, ita nudè conſiderata non poſſit eſſe fundamentum *ADMISSIONIS TROPI*; quoniam I. homines facilè poſſunt interpretari aliquid ſecundùm pravam conſvetudinem, ut putent figuratam locutionem eſſe, ſi quid ab eâ abhorreat. II. Poſſunt habere conſcientiam erroneam, ubi ſi animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur; ùt *Auguſtinus* loquitur. Unde rectè etiam *cit. l.* ſubdidit *Flacius*: *Sanè verum eſt, omnia Scripturæ dicta, neceſſariò ad aliquam ædificationem referri poſſe ac debere: ſed interdum id alicui videri poteſt ædificare*

aut

aut non ædificare, verumq́; aut falſum eſſe, quòd reverâ aliter ſe habet. Sicut in controverſiâ de Corpore CHRISTI, videtur Papiſtis id cumprimis ad ædificationem facere, ſi Panis ille transſubſtantietur, adoretur, invocetur, & veluti præſentisſimus quidam DEUS nobiſcum adſervetur, & apud nos habitet; Sed in eâdem graviſſimè errant, ut alibi demonſtratur. Quod aliis exemplis etiam manifeſtum reddi poteſt. Sic enim magis ad ædificationem facere videtur Calvinianis, ſi à literâ recedatur, & ad evitandam opinionem de manducatione & lanienâ Capernaiticâ, & defendendam veritatem Corporis CHRISTI. Tropus in verbis inſtitutionis, Metonymia videlicet Signati pro Signo, admittatur. Sicut & *Philippus Melanchthon*, in cap. 11. Epiſt. 1. ad Corinth. ad caſtra eorum hinc quaſi profugus factus ſcripſit: *Cùm Lucas & Paulus dicunt: Hic eſt calix novũ Teſtamentum, μετωνυμία eſt, ut ſi dicam: Faſces ſunt Imperium Romanum.* Conſtans enim & Orthodoxus in hoc articulo Philippus fuit usq; ad annum M. D. XXXV. incluſivè. Poſteà autem claudicare cœpit, uti oſtendit in LL. majoribus, p. 4. & 5. *Hutterus.* Quæ opinio ædificationis & veritatis, apud Calvinianos in tantum eſt roborata, ut noviter in præfat: ſuarum Exercitationum ſcripſerit *Wendelinus:* Neq; *Oralitatem* nobis perſvadebimus, aut perſvaderi patiemur, quantiſper pro veritate & gloriâ corporis CHRISTI militare nobis animus fuerit, qui, per DEI gratiam, ad ultimum usq; halitum erit. *Oralis manducatio* verè & propriè dicta, corporis verè & propriè dicti, non conſiſtit cum vero & glorioſo Servatoris noſtri corpore, præſertim, ſi infidelium quoq; hypocritarum, quos canes & porcos Scriptura appellat, impura ingredi ora, & in iis verè, propriéq; manducari dicatur! Hæc *Wendelinus.* Et *iterum:* Certè propter *negatam Corporis CHRISTI Ubiquitatem & Oralitatem*, non formidabile nobis erit divinum judicium. Et *poſteà:* Ibimus

ſine

ſine *Ubiquitate & Oralitate, triumphantes in æternam requiem, ſanctis* CHRISTI *Apoſtolis, ſanctis Martyribus & Eccleſiâ veteri Orthodoxâ comitati. Ibimus in amplexus Servatoris Jeſu* CHRISTI *verè θεανθρώπου, quem propriè & Oraliter nunquam edimus, nunquam bibimus: nunquam ita ediſſe & bibiſſe videri voluimus.* Item: *Exercit. CVI.* §. 7. *Ego præſente animo, & deliberato conſilio, cœleſtem veritatem diſcipulorum meorum animis inſtillo & inculco, ab omni alienus blaſphemandi & ſeducendi animo: quo nomine Servatoris noſtri* CHRISTI *tribunal non formido: quando pro divinæ & humanæ ejus naturæ* VERITATE, *inſuper habitis conviciis & inſectationibus τῶν ἀντιδίκων, conſtanter pugno.* Ac cùm *Exercit. XCIV.* §. 4. verba *Beati Gerhardi* adduxiſſet, negantis, *Capernaiticè corpus* CHRISTI *manducari;* ſubjicit: *Atqui non Capernaiticè, inquis. Utinam ex animi ſententiâ loquereris. Nam;* ſubjungit: *carnem CHRISTI propriè dictam propriè & oraliter manducare, aliud nihil eſt, quàm Capernaiticè manducare. Nullam aliam ſibi Capernaitæ imaginati ſunt manducationem, niſi oralem & propriè dictam, qualem & vos vultis, quâ repudiatâ, ſpiritualem ſancit CHRISTUS.* Quin *ibid.* §. 11. cum ſummâ blaſphemiâ ſcribit: *Emphaticam agnoſcimus locutionem: loquitur de pane non quovis & vulgari, ſed de quo CHRISTUS dixerat: Hoc eſt corpus meum. Quid verò inde? Ergò per panem intellexit ἀρτόκρεας, ſeu complexum ex pane & carne? Hoc tu, Gerharde, Orthodoxis nunquam perſvadebis. Et qui proprietatem verborum hoc modo tueberis? Quod enim ἀρτόκρεας eſt, impropriè panis appellatur.* In quibus verbis blaſphemè *Sacramentum*, & *complexum Sacramentale* comparat cum *artocreate.* Quod hactenus vix fuit auditum, aut ab ullo adverſariorum ita prolatum.

V. Certiſſimum igitur eſt, quòd *ÆDIFICATIO;* prout eam hic vel ille ſecundùm præconceptam opinionem ſuam ſibi imaginatur & concipit; non poſſit eſſe ſufficiens aut evi-

dens fundamentum, propter quod à literâ recedendum & Tropus admittendus ſit. Plerunq; enim hoc ipſum in quæſtione eſt, & ex Sacrâ Scripturâ priùs decidendum; *Utrum Grammaticus, an verò Rhetoricus Senſus plus faciat ad ædificationem?* Ac quia, dicente *Auguſtino; ſpes ſua cuiq; eſt in conſcientiâ propriâ, quemadmodum ſe* S E N T I T *ad dilectionem* D E I *& proximi, cognitionemq; proficere:* Ideò propter hoc ipſum ÆDIFICATIO non poteſt eſſe hujus tantæ rei fundamentum. Ipſa enim *ædificatio*, & *veritas* ejus, priùs ex Sacrâ Scripturâ demonſtranda eſt. Quomodo igitur poſſit eſſe primum aliquod principium ac fundamentum, judicandi de admisſione Tropi aut figurati ſermonis? Ac conſcientia, ædificatioq; præſumta, poteſt eſſe erronea. Sicut Paulus dicit, *Act. XXVI. v. 9. Ego quidem exiſtimabam, me adverſus nomen Jeſu Nazareni oportere multa contraria facere.* Quod poſtea *1. Tim. 1. v. 13.* dicit, *ignorantem ſe feciſſe per incredulitatem.* Ac ſicuti Saul dicebat, *oves & boves contra mandatum divinum ſervatos, adductos fuiſſe in ſacrificium Domini, 1 Sam. XV. v. 3. & 15.* Ita etiam hic ædificatio quidem prætendi poteſt; ſed quæ cum verbo & mandato DEI non concordet. Alia igitur fundamenta quæ *certa* & *prima* ſint, erunt quærenda.

VI. Evolvendum itaq; porrò eſt: *An ſufficiens fundamentum recedendi à clarâ literâ, & admittendi Tropum, aut figuratum ſermonem, conſtitui poſſit* II. *RATIO HUMANA?* Sæpisſimè enim fit, ut apud adverſarios à literâ recedatur ex ſolâ hac causâ: *quia τὸ ῥητὸν adverſetur humanæ RATIONI.* Quo nomine ſæpisſimè à noſtratibus accuſantur iterum Calviniani. Proteſtatur quidē contra hoc, *Chamier Tom. I. Panſtrat. Lib. I. c. 2. §. 7.* & poſtquam duas primas theſes, in Colloquio Ratisbonenſi à noſtratibus, de unicâ, certâ, ac infallibili normâ, regulâ ac menſurâ doctrinæ, cultûs ac fidei Chriſtianæ, ac omnium controverſiarum judice, verbo DEI; excluſâ *RA-*

TIONE

TIONE HUMANA, propoſitas enumeraſſet, ſubjicit: *Quibus verbis tàm libenter nos ſubſcribimus, quàm ſeriò optamus in reliquis omnibus illos & nobis, & veritati divinæ conſentire: atq; hæc eſto noſtra ſententiæ perſpicua explicatio.* Ubi ſanè videri vult, ac ſi rationem humanam à rebus fidei & fundamentis Interpretationis Sacræ Scripturæ longisſimè ſequeſtraret: Sicut quoq;, cum in *Oxonienſi diſputatione*, quæ legitur in Defenſione doctrinæ Euchariſtiæ *Petri Martyris p. 677. D. Gvilielmus Treshamius* diceret: *Nec eſt ſequenda RATIO, aut SENSUS in rebus fidei: alioquin multa ſequerentur abſurda!* reſpondebat *Martyr: Agnoſco quod dicis, in rebus fidei non ſequendam eſſe RATIONEM, neq; SENSUM!* Sed profectò quantum ipſi humanæ *Rationi* tribuant, & quàm ſæpe eam ſequantur, inprimis in Loco de CHRISTO & de Sacro-Sanctâ Euchariſtiâ: planè eſt in aprico. Hinc ſtatim ibidem ſubjungit *Martyr. At non eſt articulus fidei, Chriſti corpus eſſe in multis locis, cùm hoc nusquam doceat Scriptura: imò ſecus habetur ex eâ, Chriſtum videlicet eſſe verum hominem, & verum habuiſſe corpus, cui maximè convenit, ut ſit circumſcriptum, & certo aliquo loco ambiatur: & quoad corpus credimus aſcendiſſe in cœlum, reliquiſſe mundum, & ſedere ad dexteram Patris.* It. p. 676. cum *Treshamius* objeciſſet: *Dico, quòd CHRISTI Humanitas non deſtruitur, loco illi plurificato: nam cùm ipſe ſit omnipotens, poteſt ſimul eſſe, etiam ſecundùm corpus, in multis locis, & ubi velit.* Reſpondebat *Martyr: Quæſtio eſt, non utrum CHRISTUS ſit omnipotens, aut DEUS: ambo enim hæc fatemur, ſed an corpus ejus poſſit eſſe ſimul in multis locis.* Et in *Part. I. Defenſ. p. 14.* ſcribit: *Sed fortaſſe, inquiet Gardinerus: Vos cur illam (corporalem præſentiam) negatis? Quia CHRISTI corpori, ſi verè humanum corpus ſit, concedi non poteſt, nimirum ut ſimul eodemq; tempore in cœlis & in terris verſetur.*

VII. Sic idem *Martyr* in *Dialogo contra Brentium* diſertè

 ſcri-

ſcripſit: *DEUM univerſâ ſuâ omnipotentiâ facere non poſſe ex triangulo quadrangulum, ex ternario quaternarium: vel efficere, ut corpus humanum poſſit eſſe in pluribus locis, vel ubiq; in diſpenſatione Cœnæ Dominicæ.* Quæ verba meritò rejiciuntur in Form. Concord. art. 7. theſ. negativâ XIII. Pariter ſcribit *Wendelinus* in præfat. *Fruſtrà divinam hic prætendunt omnipotentiam, modumq; nobis planè incognitum, ineffabilem, inexplicabilem, incomprehenſibilem, & indeterminabilem, qui manducationem oralem verè propriéq; dictam, corporis verè propriéq; dicti retinent, aliisq; vel obtrudunt, vel commendant. Quantiſper enim verè propriéq; dicta eſt & manet, ignominioſa eſſe corpori* CHRISTI *verè humano, propriéq; dicto non deſinit: quibuscunq; tandem excuſetur modis.* Ex quibus patet, omninò RATIONEM HUMANAM ab ipſis; utcunq; dicant, ſe Omnipotentiam concedere, tandem pro fundamento haberi. Interrogatus enim Martyr: *quare corporalem præſentiam, & realem adeſſentiam corporis CHRITI neget?* ſine tergiverſatione reſpondet: quia Scriptura dicat: *CHRISTUM habere verum corpus. Verum corpus autem non poſſit ſimul eſſe in pluribus locis, ſed ſit certo loco circumſcriptum.* Quod poſterius nititur RATIONE HUMANA: conſtitutâ quidem hic in abuſu, ſed adeò tamen pro certâ & verâ habitâ, ut eam non ſit veritus divinæ omnipotentiæ opponere, & dicere: DEUM ne quidem univerſâ omnipotentiâ ſuâ facere poſſe, ut corpus humanum ſit in pluribus locis, vel ubiq; in diſpenſatione Cœnæ Dominicæ. Cauſam igitur, quare negent, quod in Sacrâ Cœnâ verè adſint & diſtribuantur Corpus & Sangvis CHRISTI, ut *Art. X. Aug. Confeſſ.* loquitur: non poſſunt aliam aſſignare, quàm hanc, *quia unum idemq; numero corpus non poſſit eſſe ſimul in pluribus locis,* ceu ipſis dictitet RATIO HUMANA. Unde ſcribit quidem *Wendelinus* in Dedicat. Exercitat. ſuarum: *CHRISTO perſpicuè & ſimpliciter aliquid affirmanti, nos fidem debere haud diffitemur.*

mur. Et in *Exerc. I. §. 4. Ita ſtatum controverſiæ de cœnâ Domini formant quoq; nonnulli: An verba* CHRISTI, *Hoc eſt corpus meum, ſint vera? Quaſi unquam aliquis hoc negarit!* Sed idem propter hoc ipſum RATIONIS principium, verba CHRISTI in Sacrâ cœnâ prolata, non cenſet eſſe perſpicua, & propterea ad Tropum confugit, ac nos accuſat, quòd habeamus *Rationem in myſteriis fidei pertinaciter cæcutientem*, uti *Exerc. XCI.* §. 2. loquitur; & pluribus ibi videri poteſt. Conferatur quoq; *Summa Controverſiarum religionis Johannis Hoornbeck p. 505. & ſeqq. It. p. 618. controverſiarum capite 1.* Calvinianos igitur nimium RATIONI tribuere; & EJUS principiis, in ſuo circulo veriſſimis, turpiter abuti, mendacium non eſt, ſed veritas manifeſta.

VIII. Deinde, ut ad ſententiam veram acceſſum faciamus, conſiderandum eſt; quid ſentiendum ſit de illo communi pronunciato: *Myſteria fidei Chriſtianæ eſſe quidem ſupra, ſed non contra rationem hominis.* De quo Anno M. DC. XX. peculiarem Diſputationem hic habuit, *Pl. Reverendus, Dn. D.* JOHANNES MAJOR, *Anteceſſor noſter in* CHRISTO *placidè quieſcens.* Utuntur enim hoc pronunciato Pontificii, Calviniani & Photiniani. Sic *Salmeron Tom. II. fol. 5. ſcribit:* Præmittenda ſunt quædam, atq; illud inprimis, *nihil eorum, quæ fide accipimus, contra rationem eſſe, ſed potiùs ſupra rationem*, ùt concilium Lateranenſe definivit (Tertium ſcil. ſub Leone Seſſ. 8.) Nam quemadmodum lumen lumini contrarium non eſt, ita nec veritas ſupernaturali lumine cognita, illi veritati contradicere poteſt, quæ naturali lumine apprehenditur, cùm utriusq; luminis, & utriusq; veritatis unus atq; idem ſit auctor, DEUS benedictus. It. *Bellarm. lib. 2. de Juſtific. cap. 12.* Myſteria fidei *ſuperant quidem rationem, ſed non repugnant rationi.* Et de notis Eccleſiæ lib. 4 cap. 11. *Eccleſia noſtra nihil contra rationem docet, etſi multa ſupra ratio-*

 nem.

nem. Paria habet *Gregor. de Valentiâ* in anal. fidei Cathol. l. 1. c. 4. f. 5. & cap. 12. f. 12.* Et nuper *Heinricus Holden, in Sacræ Theologiæ Facultate Pariſienſis Doctor, in divinæ fidei Analyſi, lib. 1. cap. 2. p. 28.* ſcripſit: *Manifeſtum eſt, quòd cùm auctor Naturæ ſit etiam auctor gratiæ, par eſt, ut ea, quæ ſupra omnem Naturæ gradum & ordinem ad illam perficiendam ſuperaddere voluerit, ſint illi omninò congruentia & convenientia, adverſa quidem & oppoſita naturæ ſenſibili, gratiſſima verò rationali.* Sic *Zwinglius in Colloquio Marpurgenſi,* uti refertur *Tom. IV. Germ. Jenenſi f. 468.* dixit: *DEUM non proponere nobis hujusmodi incomprehenſibilia.* Item *Sadeel de Sacrament. manduc. Corporis* CHRISTI, *p. 309. in fol.* ſcripſit: *Nihil, quod eſt ἀσυμφυσικὸν & ipſam naturam evertit, poteſt eſſe myſterium divinum, quia myſteria divina ſunt veriſſima, at ἀσυμφυσικὰ ſunt falſiſſima, quippe quæ opponuntur DEO, naturæ ipſius auctori, & contradictionem implicant. Etenim divina myſteria non tollunt Naturam, ſed eam exornant: Sic incarnatio verbi eſt quidem longè ſupra naturam humanam, ſed non eſt contra.* Ac *Alſtedius* part. 1. Theol. naturalis p. 4. *nullus fidei articulus eſt contra rationem, licèt multi ſint ſupra rationem.* Et p. 8. quod dicitur, *res divinas eſſe contra rationem, falſum eſt.* Sic *Smalzius contra Frantz. diſp. 4. p. 137.* ſcribit: *Nulla eſt religionis Chriſtianæ particula, quæ cum ratione non conveniat, & quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theologiâ locum nullum habere poteſt. Ut parva lux magnæ: Sic ratio Sacræ Scripturæ non eſt contraria.*

IX. Ut ergò, quid hic ſit ſentiendum eò appareat manifeſtiùs: notamus I. RATIONEM HUMANAM conſiderari poſſe *dupliciter.* I. Ratione *ſuæ eſſentiæ,* & quatenus habet naturalia ſua principia & ſuas veritates, ut ita loquamur, ac lumen naturale, quod æquè eſt à DEO, atq; eſt veritas revelata. II. Ut habet *intimè ſibi adhærentes tenebras, à peccato Originali profectas, ſive mentis caliginem in Spiritualibus.* Quâ ratione

tione dixit Salvator, *Matth. XVI. v. 17. Caro & ſangvis non revelavit tibi*, ac συνεκδοχικῶς intellexit *humanam Naturam*, eamque ût eſt *corrupta*, & *infirma*, ût explicavit *Andreas Schottus, in Adagialibus Sacris Græco-Latinis Novi Teſtamenti*, p. 46. Atque ſecundùm hanc *poſteriorem* conſiderationem nemo negaverit, tenebras illas & caliginem humanæ mentis, myſteriis fidei adverſari, ac privativè opponi. Unde & diſtingvi ſolet inter RATIONEM *Renatam*, & *Non-Renatam*; ac dici poteſt: Hanc quidem myſteriis fidei ſe opponere: illam verò minimè. Renatus enim *captivam ducit omnem cogitationem ad obediendum* CHRISTO, *2. Cor. X. v. 5.* Notamus II. Quamvis itaq; RATIO, quatenus eſt RENATA, RENOVATA, & per Verbum DEI à Spiritu Sancto ILLUMINATA, myſteriis fidei & Sacræ Scripturæ non repugnet: tamen, quia Renovatio in hac vitâ imperfecta eſt, recipiens magis & minus, *2. Cor. IV. v. 16.* & notitia quoq; noſtra imperfecta ſit. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus, 1. Cor. XIII. v. 9.* Ideò etiam reliquiæ illæ tenebrarum & caliginis in mente adhuc reſiduæ, ſeſe opponere poſſunt: ſed quarum contradictiones & auſa extemplò homo pius ſupprimit, & captivat ſub obſequium CHRISTI. Si autem malus fuerit homo, & ductum illarum ſequitur, ex amico veritatis, fit hoſtis. Sicut de medio Eccleſiæ, Hæretici quandoq; ſurrexerunt, & quò pejores fuerunt, eò pertinaciùs quoq; ſinceram ac cœleſtem doctrinam, ex principiis Naturæ malè applicatis oppugnarunt. Notamus III. *Aliud* eſſe loqui de RATIONE ejusq; principiis in recto ac vero uſu conſtitutis, & intra ſuos limites permanentibus: *Aliud* autem eſſe loqui de Ratione ejusq; Principiis conſtitutis in abuſu, & in malâ applicatione. Quo ſenſu rectè dici poſſet: *poſteriori modo myſteria eſſe contra rationem.* Ratio enim in abuſu conſtituta, myſteriis contradicit, ût eſt evidens. Sed tunc non amplius

propriè loquendo eſt Ratio, ac tunc vitium in abutente quærendum fuerit, non in ratione, quæ intra ſuos limites ſe continens eſt à DEO. Notamus IV. Quòd igitur Ratio Humana, circa myſteria fidei rectè ſe gerit, continendo ſe & ſua principia intra ſuos limites & terminos: quod item veritati revelatæ principia ſua ſubordinat, & lumini majori ſe piè ſubmittit; ac ea, quæ ſuperant ſuum captum, devotè credit & amplectitur: Id certè RATIO non habet ex ſeſe, & ſuis viribus, ſed ex dono DEI, & efficaci Spiritûs Sancti operatione, Verbo inſeparabiliter annexâ; & ita quatenus fit & eſt *Renata*, & *Renovata*, hæc omnia facit. Aliàs enim, dicente Apoſtolo, *1. Cor. I. v. 18. & ſeqq. Sermo crucis, iis quidem, qui pereunt, ſtultitia eſt: at nobis, qui ſalutem conſequimur, potentia DEI eſt: Scriptum eſt enim; Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium rejiciam. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator ſeculi hujus? Nonne infatuavit DEUS ſapientiam mundi hujus? Et cap. II. v. 10. 13. 14. Nobis autem DEUS revelavit per Spiritum ſuum. v. 12. Nos verò non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum, qui eſt ex DEO: ut ſciamus, quæ à CHRISTO donata ſint nobis. Quæ & loquimur, non ſermonibus, quos docet Humana Sapientia, ſed quos docet Spiritus Sanctus, ſpiritualibus, ſpiritualia comparantes: Animalis autem homo non accipit, δέχεται, ea, quæ ſunt Spiritus DEI, ſtultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quòd ſpiritualiter dijudicatur.* At *v. 15. Spiritualis dijudicat quidem omnia, ipſe vero à nemine judicatur.* Ex quibus clarum eſt: Quòd res fidei non agnoſcant pro principio, *humanam rationem*: ſed pendeant ex *ſolâ revelatione divinâ.* II. Et quòd propterea RES FIDEI, excedant humanam rationem, ſint ſupra eam, & extra limites ejus conſtitutæ. III. Et quod propterea homo, ſibi relictus, & extra gratiam regenerationis & renovationis conſtitutus, non accipiat ea, quæ ſunt Spiritus DEI. Nec enim homo talis quicquam

admit-

admittet, quod ſupra ſuum captum eſt, qualia quidem Spiritualia ſunt: niſi accedat efficax motus & operatio Spiritus Sancti, Rationem & mentem illuminantis, & voluntatem efficaciter moventis, ut Intellectui pium imperet aſſenſum. Sicuti enim in rebus naturalibus & rationi ſubjectis; Aſſenſus oritur ex evidenti cognitione & clarâ viſione objecti: Ita in rebus Spiritualibus; & myſteriis fidei captum humanæ RATIONIS ſuperantibus: Aſſenſus oritur ex illuminatione, & efficaci operatione Spiritûs Sancti, quæ VERBO DEI inſeparabiliter eſt conjuncta. Hinc dicit Apoſtolus *cit. cap. II. prior. ad Cor. v. 4. & 5. Et ſermo meus, & prædicatio mea non erat in perſvaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus ac potentiæ; ut fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in potentiâ DEI.* Unde errare quoq; cenſemus citatum *Henricum Holden*, qui *p. 22.* putat, *hanc eſſe rationem certiſſimè deprehendendi ea, quæ revelata ſunt: ut homo, qui de ſuâ naturali eſſentiali conſtructione & conſtitutione eſt rationalis, debeat ratiocinatione & diſcurſu comperire, quod ſit maximè conſentaneum rationi, ut iis, quæ fide divinâ credenda proponuntur, aſſenſum præbeat!* Cùm Aſſenſus non ex ratiocinatione & diſcurſu; ſed, ut dictum, ex illuminatione & efficaci Operatione Spiritus Sancti oriatur. IV. Ac proptereà, quicquid hîc circa RES FIDEI facit RATIO HUMANA, facit per gratiam Spiritûs Sancti.

X. Diximus contra *Henricum Holden:* Aſſenſum, qui præbetur *veritati revelatæ* non pendere *ex ratiocinatione & diſcurſu:* ſed ex *Illuminatione, & efficaci Operatione Spiritûs Sancti, quæ Verbo DEI inſeparabiliter ſit conjuncta.* Ad cujus rei demonſtrationem, ut hæc quaſi obiter afferamus; cenſemus pertinere locum iſtum *Matth. VII. v. 28. & 29.* Ubi dicitur: *Et factum eſt, ut cùm finiſſet Jeſus ſermones hos, obſtupuerint turbæ ſuper doctrinâ illius. Docebat enim eos, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, velut habens auctoritatem, & non ſicuti Scribæ.* Quam ἐξουσίαν meritò in-

terpre-

terpretamur, de *ſummâ illâ majeſtate*, & *penetrantisſimâ efficaciâ*, quæ cum doctrinâ CHRISTI erat conjuncta. Unde & ad eadem hæc verba addidit *Lucas Oſiander*: *CHRISTUS non docebat nugas humanarum traditionum, veluti Scribæ: qui neq; de Meſſiâ quicquã ſani docebant, neq; Legem DEI rectè explicabant: ſed de lotionibus crebris, de mento, & cymino decimandis tractabant. Itaq; frigidisſimæ, & inſulſæ prorſus erant ipſorum conciones: Chriſti verò doctrina complectebatur res graviſſimas, & ad æternam ſalutem pertinentes: erant ipſius conciones nervoſæ, graves, & cum ſingulari majeſtate conjunctæ. His etiam ſtupenda ipſius miracula auctoritatem conciliabant. Itaq; quæ ipſe docebat, in animos hominum penetrabant.* Sicuti etiam *Daniel Heinſius in Exercitationibus Sacris, Editionis Cantabrigienſis, p. 33.* huc tandem inclinat, ut ἐξουσία illa, opponatur *interpretatiunculis & nugis ſcribarum. In quibus adeò ſubtiles erant, ut Grammaticas nonnunquam obſervatiunculas miſcerent; quod de iis Epiphanius.* Et *Johannes Stephanus Menochius Tom. II. Brevis Explicationis totiꝰ Scripturæ*; itidem hujus rei mentionem facit, dum annotat: SICUT POTESTATEM HABENS. *Primò, quia non ſicut Scribæ, & Phariſæi tantùm ea docebat, quæ lex dicebat, nec interpretis loco ſolùm fungebatur, ſed nova præcepta, & promiſſa afferebat, eaq; non alieno, ſed ſuo nomine proponebat: Ego autem dico vobis*, &c. *Secundò, quia raram quandam energiam, & efficaciam habebat ejus ſermo, cùm Phariſæorum Oratio trepida eſſet, frigida, & ad movendũ animos parùm idonea. Tertiò, quia doctrinam ſuam miraculis confirmabat, quod Phariſæi, & Scribæ facere nõ poterant.* Ex quibꝰ *tribus Rationibus*, *primam* planè rejicimus; cùm falſum ſit, *CHRISTUM nova præcepta, & promiſſa attuliſſe*: *Secunda* autem, quæ genuina eſt, & *Tertia* cum Oſiandro concordant. Haud aliter, atq; etiam domeſtica ſententia prævaricari hic fecit doctisſimum Pontificium, *Gvilielmum Eſtium*, ut in *Annotationibus in præcipua ac difficiliora Sacræ Scripturæ loca*, ad hunc *v. 29.* addiderit: *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens:*

bens: Græcè ἐξουσίαν, authoritatem. Senſus eſt; Non docebat, quaſi alienâ nitens authoritate, ſicut Scribæ & Phariſæi, qui allegabant Moyſen & Prophetas in ſuâ doctrinâ; ſed velut ipſe poteſtatem & authoritatem habens legis condendæ. Unde dicebat: Ego autem dico vobis, videlicet ut legislator. *Hîc ergò ſignificatur,* CHRISTUM *fuiſſe* legislatorem; *nec talem, qualis Moyſes, qui tantùm erat* DEI *internuncius, verba* DEI *ad populum referens, ſed qui ſuam ipſius legem proferret!* Hæc *Eſtius!*

XI. Quod ergò paſſim Humana Sapientia malè audit apud Apoſtolum: & quòd ſæpisſimè RATIO HUMANA ſuſpecta habita; ac à Theologis quibusdam dictum fuit, *RATIONEM myſteriis fidei contrariari, adverſari, repugnare:* Id commodè explicari poteſt 1. De *abuſu* & *malâ applicatione* principiorum rationis, & quando Humana Sapientia *judicium* ſibi arrogat ſuper Spiritualia. 2. De Ratione Humanâ, *quatenus per peccatum Originale caliginem & tenebras contraxit*, nondumq; *renata* & *renovata* eſt. Et 3. non de rectâ RATIONE ipsâ; ſed de *eo, qui Ratione abutitur.* Ac 4. de *negatione capacitatis.* Quia enim myſteria fidei ſuperant captum Humanæ Rationis: Ideò, quando Ratio ea ſecundùm ſuam capacitatem dijudicare & examinare præſumit, meritò reprehenditur. Prout autẽ eſt RATIO HUMANA, conſiderata in ſeſe, habens ſua naturalia principia, abſtinens à ſupercilio, & continens ſe intra ſuum objectum, & ſuos terminos: omninò donum DEI eſt, & *fidelis Sacro-Sanctæ Theologiæ miniſtra;* nullatenus cum eâ committenda. Sicut ipſe Paulus iſto communisſimo principio; *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, Roman. 13. v. 6.* eſt uſus: *Aliàs*, inquiens, *jam gratia non eſt gratia.* Quàm iniquè autẽ Adverſarii, præſertim Calviniani & Photiniani ad hoc provocent; *myſteria fidei non eſſe contra; ſed ſupra rationem:* & quàm peſſimè ipſi Ratione abutantur, & eam veritati revelatæ opponant, eamq; ex iſtâ dijudicare conentur;

tur;

tur; notius eſt, quàm ut id multis hic oſtendere ſit neceſſe. Et hæc eſt noſtra etiam de iſtâ controverſiâ ſententia, quam tamẽ liberrimo Lectoris judicio ſubmittimus: modò veritati revelatæ relinquatur magiſterium, ac neutri parti detrahatur aliquid, quod ei tanquam dono DEI debetur.

XII. Nunc itaq; quicquid etiam ſit de illâ pugnâ, de quâ dictum fuit; dicimus: *HUMANAM RATIONEM, non poſſe eſſe principium aut fundamentum, propter quod à clarâ literâ recedendum, & Tropus admittendus ſit?* Ratio & cauſa hujus aſſertionis eſt. I. quoniam myſteria fidei ſuperant captum humanæ rationis; nec ſub objecto ejus continentur. Quomodo poſſit igitur ex RATIONE dijudicari, & propter eam figuratum pronunciari, quod ipſa nõ capit aut intelligit, & quod etiam ſub Objecto Ejus non continetur? Sanè ſicut de iis, quæ ſub objectum potentiæ viſivæ cadunt, non poteſt judicari ex iis, quæ cadunt ſub auditum: Sic etiam Ratio, in recto & vero uſu, ac intra ſuum objectum & ſuos limites conſtituta: non poteſt ſibi hoc arrogare, ut ſecundùm eam, de myſteriis fidei; & an in aliqua aſſertione Sacræ Scripturæ, Tropus ſit admittendus; judicari debeat. Res enim FIDEI & myſteria, non continentur ſub ejus Objecto: ſed *omnis fidei divinæ aſſenſus revelationi divinæ innititur, tanquam objecto ſuo, formali & eſſentiali,* ùt rectè hic citatus *Henricus Holden.* p. 48. loquitur. Quicquid à RATIO in Theologo, Philoſopho, & quolibet Chriſtiano de rebus fidei judicat, hoc facit, ùt eſt illuminata, renata, renovata, & quatenus ſequitur ductum Sacræ Scripturæ. II. Quoniam RES Scripturæ Spiritualiter dijudicantur, *1. Cor. II. v 14.* Reſervari tamen judicium RATIONI de rebus merè naturalibus, & ſecundùm curſum Naturæ deſcriptis; ſicuti multa talia in Sacrâ Scripturâ leguntur: libenter permittimus, quoniam iſta continentur ſub ejus Objecto. Notanter autem diximus; *Secundum curſum Naturæ deſcriptis.* Nam ſi quis velit dicere, ignem omninò ſemper urere, & ita etiam in fornace Babylonicâ idem factum fuiſſe: Item ex quinq; panibus, non potuiſſe remanere duodecim cophinos: ei non eſt credendum; cùm iſta facta fuerint præter curſum Naturæ! & etiam, ùt talia à Sacrâ Scripturâ commemorentur.

FINIS.

89. 0619 36

Digitized by Google